



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Disquisitionvm Magicarvm Libri Sex

Delrío, Martín Antonio

Mogvntiae, 1624

Sectio VI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62472)

Aphricani, Europæi quibus credetis: Magdeburgici Centuriatores, & Lemnicole coaxatores asserunt, nullas vnquam visiones defunctorum fuisse veras: militantis Ecclesiæ: quæ columna veritatis est, centuriones & Euangelij præcones, qui scientiam suam de sapientiæ æternæ vberibus suxerunt, vnanimi consensu litteris mandarunt plurimas, vt veras: quibus credetis? Beatorum apparitiones habemus, damnatorum habemus, beandorum habemus: Ecclesiasticæ monumentis historiæ, patrum traditione, conciliorum actis, diuinæ scripturæ tabulis consignatas, & de manu in manum per omnes Ecclesiæ ætates traditas, conseruataque: Nonne temerarium contra niti, flagitiosum repugnare, impium atque blasphemum his omnibus fidem derogare? quid, mendacij vel stoliditatis ea eorumq; auctores accusare? nomen non inuenio, quo appellem. Tu (*lector*) rei indignitate animo cõplectere, complexus abijce, abiectam conculca & execrare. Quid mendacij accusare, nisi falsa pro veris obrusa dicitate? quid mendacij accusare, nisi falsa pro veris obrusa dicitare? quid stoliditatem ascribere, si non caularis: adeo tot grauissimos, sapientissimos, sanctissimos viros, fuisse vecordes, vt inanibus nãnijs se passi fuerint ludificari, & pro historijs fabellas aniles receperint? hæc aduersariorum modestia est.



SECTIO VI.

SED ratione fortassis aliqua vel argumento efficaci ad hoc credendum impelluntur. Examinandas ipsorum obiectiones tibi fideliter proponam: tu iudica & discute.

B In Italia (*inquit Philipp. Melanch. in Manly Calendario*) habent impurissimas & obscenas fabulas de Maria, quæ apparuit Monachis) bellum dictum & mendacissimo dignum scurra. Habet Asia & Aphrica, habet & Hispania, & Germania, Deiparæ sacratissimæ apparitiones, vt doctum. habet non sola Italia, & eas ab omni obscenitate & impuritate tam remotas, quam à fidei puritate Melanchton, quam à morum & vitæ castitate ac sanctimonia fuit alienus Lutherus. nec illæ fabulæ vocari possunt, quas omni æuo grauissimi scriptores & sanctissimi viri, publicis testimonijs consignarunt, quas Ecclesiasticæ traditiones confirmarunt. Sed hæc Melanchtonis & Io. Riuij modestia fuit, tot sæculis probatas Sanctorum apparitiones, anilia censere deliramenta, & cum ipsi essent homines ineptissimi, Diuum Gregorium Papam ineptum vocitare, addunt vanitatem impudentiæ, cum multa falsa & inania pueriliter, sine iudicio, & fallaciter, sine candore, congerunt, & quorundam priuatos abusus & stultorum deridiculas opiniones in publicam Catholicorum contumeliam detorquent. quasi non rebus verissimis & optimis hoc sit ad natum, vt obnoxia sint fucis, & hominum dæmonumque dolis atque malitiæ exposita, in multorum prauæ vtentium vertant perniciem. quid pane vtilius? Sodomæ tamen eius abundantia no-

cut

cuit, quid vino salutaris? plures tamen ebrietas, quam gladius necavit, quid Dei adoratione præstantius? quot tamen illam in cultum idolorum deflexeret? discretio ergo & prudentia necessariæ, ut veras à falsis discernamus: non vero licet, propter falsas, veris fidem derogare.

Marbachius negat vllas veras: nisi Christi & Angelorum reperiri, cur ergo tam diligentes, quando per Angelos exhibitæ, id Patres & historici addere confueverunt? cur hæc nouus Vigilantius vincula Sanctis iniicit? cur his eos compedibus & manicis ligat: cur in hunc neruum compingit, homo propter multiplices blasphemias neruo dignissimus propter transfugium, compedibus vincendus, & propter amentiam atque furorem, totus vinculis quadrupes constringendus?

Centuriatores & Lauatherus addunt argumenta paulo verisimiliora, quædam quibus probare conantur, nullum esse Purgatorium (quæ ut impertinentia hoc loco prætermittimus) quædam quibus respondebo, tractationi accommodata. Quid inquit Augustino respondeas, qui non obscure, viventium rebus animas defunctorum negat interesse: alioquin sibi matris optime conspectum nulla nocte defuturum? *d. libr. de cura pro mort. supr. citato.* Quid Athanasio a. Chrysolomo b. Theophylacto c, Tertulliano d, censentibus hæc esse commenta dæmonum, qui se suffragijs nostris indigere, & ex purgatorio, via alta atque ardua, fingunt aduenire? Addunt scriptura. Nam is qui descendit ad inferos non amplius ascendit, Iob, e. Psalmistæ f homo est spiritus vadens & non rediens: pulvis est, & postquam semel d. floruit, dicitur suum locum non amplius recognoscere, quo igitur

A pacto queat redire: alicubi dicimur *gammes mori & sicut aqua dilabi.* quis dilapsus ad fontem reuocet? DD. Petrus & Paulus h mortuos inquit dormire: cur ante terminum suscitatus? negat Abraham i Chaos quantum interiaceret, à mortuis posse transmitti, & idcirco illos nec mittendos, ut viuis renunciaret, quæ illic geruntur. Quo pacto si nec

B per se queunt, nec à Deo mittuntur: mortalibus apparebunt? Hæc summe argumentorum, quæ momentis alicuius. Sed reuera hoc est abuti scripturis, & Patrum dicta calumniari. Non negat apud Lucam Patriarcha Abrahamus mitti à Deo mortuos posse, vel solere. sed tunc mittere abnuebat. *Chaos* illud hiatus maximū atque impermeabile significat, quem sine Dei permissione nullus transire mortuorum queat: Dei enim lege immutabili constitutum est, ut sine ipsius permissione receptaculis suis animæ nequeant exire. Dei quoque

C lex sanxit, nec damnatorum beatis vllam esse condolentiã (huc D. Greg iter istud imperium retulit) nec sortis vllam esse commutationem, vel meritum vllum confortium inter illos (huc Ambr. & alij retulerunt, de quo vide Cathen. D. Thomæ.) Dormire mortuos testantur Apostolorū Principes, fateor: sed *somnus* ille mortem significat, & dormire est mortuum esse. phrasis ista Græcorū fuit vnde & sepulcreta, vocat̃ κοιμητήρια hoc est dormitoria, & Homerus, de virga illa Mercurij loquens, qua putabat eū mortuos suscitare, mortuos nominavit *ἐπὶ τῶν ἐπέγει* (dormientes excitat:) id obscurius & deterius vertit Maro. *Luminamorte resignat.* Hebræi etiam dormire dicunt, pro mori, & Syri mortuos vocant *dormientes*, propter spem resurrectionis. (vt Angelus Caninius obseruauit) si ergo dormire Lauathero, est

D

E

b 2. Pet. 3
1. Thef.
4. v. 13.

Luc. 16
.16.

q. 13. in
scrips.
bhom. 19.
in 8. c.
Mar.
e iud. c. 8.
d. de ani
ma.
e c. 7. v. 9.
f Pl. 77. v.
39. & 102.
v. 13. & 16
g 2. Re. 14.
v. 14.

in nullius conspectum vnquam venire: vbi fides resurrectionis? dormiebant Moses, Samuel, Ieremias & Onias, apparuerunt tamen. Sed omnes sicut aqua dilabimur, puluis sumus, & quasi in auras dispergimur. Tibi vero, Lector, quisquis his fulcris innitere, edico, te moneo, discaueas, ne huiusmodi rationibus vtare. nam si quid probent, eadem opera probent neresurrectionem quidem vnquam fore. dilapsæ semel aquæ nunquam redeunt, amnes aspice: num nos nunquam redituri? Potius ergo fatendum his & similibus locis, nihil aliud velle S.S. nobis indicare, quam vitæ nostræ imbecillitatem & fugacitatem, vt D. Augustinus & Angelomus annotarunt. Plates Regius negat à mortuo amplius locum suum cognosci. vbi aduerte nullum omnino patrum, ne quenquam ante Lutherum, sic locum hunc exponere, vt facit Lauatherus: vt quam cito, tam vere, de tam nouitio commento, Nouatorem, queas agnoscere. Quatuor inuenio veterum explanationes. duas enim Hebræorum in *Midras tehilim* omitto, vnam vt impiam, quæ animæ hinc ipsius mortalitatem colligit, alteram, vt parum convenientem textui, de originali peccato: hoc cum homine resurgente non amplius resurgere. isti *Velo iashub*, accipiunt de *iatzar hazez*. Duæ Patrum expositiones sunt plane tropologicæ, vt Arnobij hic, de diuitijs, & alia Barilij (*de penitent.*) Hominem semel in peccatum lapsum, non posse sine Dei gratia, vi sua exurgere. Tertia est volentium, locum hunc, non capi de corpore, sed de toto hoc orbe sublunari, in quem, egressa semel de habitaculo corporis anima, nequit sine speciali DEI permissione redire: sic innominatus, sed per eruditus psal-

A morum interpret. Quarta est Apollinaris, & Euthemij, sensum esse, scire Deum & cognoscere humanæ naturæ conditionem, & interitus nostri accelerationem, qui nati mox denasci incipiamus, & cum nobis semel occiderit breuis lux, & vitæ flos iste emarcuerit, haud posse abruptam vitæ telam iterum connecti, vel vinculum istud animæ atque corporis semel dissolutum rursus colligari, neque animam nostram, postquam venti instar semel euolarit, vltra corpus suū agnoscere, vt illud subeat ac possideat. Nam in ipsa resurrectione, beati illud iam splendidum & incorruptibile deprehendent: damnati, sædum ac horridum & obnoxium corruptioni. tam vero damnati quam beati, angelica opera, Dei nutu, illud sunt agnitori. Quid? quod nonnulli intelligunt de ipsis amicis, qui post animæ recessum, corpus amplius non agnoscunt, sed detestantur? & hi more Hebræo *sum pro eius*, accipiunt. videtur huius sententiæ P. Emanuel Saa. Quid? quod Diuus Hieronymus secutus Hebræam phrasim, eandem vertit, *non cognoscat eum amplius locus eius*, quod plerisque Hebræi volunt, & paraphraf. Chaldaus, & Vatablus sequuntur, & sic locutus ante fuerat Beat. Iob. capite septimo. vbi Hebræa, Chaldaea, Græca, & Latina conueniunt, hac profus sententia, mortui memoriam interituram, quasi non fuisset: vel superstites, quid cum vita functis agatur, aut quo in loco detineantur, numquam nisi per reuelationem futuros certiores. Quæ omnia contra communem sententiam nihil habere virum, est omnino clarissimum. Minus etiam obstat, quod eadem Regio Vati dicatur homo, *Spiritus vadens & non rediens*. nam quod præcelsit *quia caro sunt*, id

aperte

apertè indicat agi de naturæ humanæ deprauatione & improbitate ; quæ cum ad deteriora semper vergat, à malo tamen ad bonum, per se nequit redire: vel, quod magis placet, agi, de homine corruptibili, qui, cum ad mortem Pegaseo gradu properet; à morte ad vitam retrogredi, virtute non potest sua. D. Iobi verba, *Sic qui descendit ad inferos, non ascendet nec reuertetur vltra in domum suam, neque cognoscat eum amplius locus eius*: eundem planè sensum habent, quem illa Davidis paulò prius explicata. Belle quoque Dionysius exponit, animam quæ ad inferos descendit in pristinam vitæ rationem, diuitias, latifundia, palatia, naturaliter non redire. *quamuis* (verba sunt eius) *miraculose id fieri possit, sepeque factum sit.* Et illo tenor D. Thomas ibidem disertè tradit, Iob locutum de eo, quod secundum cursum naturæ fit, non de eo, quod agitur miraculose. En aduersariorum tela, ex scripturæ pharetra. Plus fortassis fiduciæ in Patribus, plus suppetiarum? nihil vtiq; minus calumniosa vtiq; tota illa restificatio, quæ Rhemniæ legis, vlla si lege teneri paterentur, non effugeret inuisionem.

Miror Augustinum nobis obijci, cuius sententiam ex eodem libro audiisti, non ambigue ceruicofos istos condemnantem. Vult ille quidem plerumque angelicas esse operationes: sed addit spiritus etiam aliquando *autopodidas* ad viuos mitti. Negat eodem arbitratu suo redire posse, citra Dei voluntatem: alioquin sibi matrem continuo adfuturam: sed nutu Dei aliquando rediisse, profiteretur, & exemplis confirmat. Athanasium producant in pugnam, sed larnatum: Anastasius enim ille Nicænus est, non Athanasius, eius diuidenda auctoritas. Nam

A quæ ab illo *quæst.* dicuntur. leui brachio in aduersarios retorserim. negat spiritus apparere, fretus Davidis testimonio, de quo nos iam copiose. addit hæc verba: *De animalibus enim sanctorum non est dubitandum. nam & post mortem & in iudicij die cognoscent omnia.*] vnde sic possumus ratiocinari: si beatorum animæ cognoscunt omnia post mortem, locum igitur & suum cognoscunt: si locum suum permittente Deo, ad illum redire possunt. idcirco enim damnatorum animas negauit redire posse, quia locum suum non cognoscunt. de animalibus enim his tantum accepit verba Davidis, non de omnibus, vt Lauatherus. Q. vero 8. non adimit omnem illis simplicitus reditum (nam hoc Scripturæ sacræ refragaretur) sed negat à Deo remitti, vt humanæ curiositati satisfaciant, nar-rando quid apud inferos rerum geratur. Sciendum quoque temporibus illis quandam hæresim viguisse contententem; mortuorum animas, illorum maximè, qui violenter necati, dæmones fieri, & malis deinde carminibus ad hominum oblequia & responsa danda compelli. Huic demencia se summa vi Patres opposuerunt, & vrsaniam illam sedulo confutarunt. In his sane diligens Isidorus lib. 2. *Etymolog.* c. 8. & os aureum Ioannes Constantinop. *homil. 2. de Lazaro*, & *hom. 4. in Lucam*, vbi reddit rationem, cur Deus non permittat multos in vitam redire: vt sic dæmonum fraudibus materia subtrahatur. qui dicit non permitti multos, nonne de nonnullis, licet paucis, fatetur? adimit etiam facultatem redeundi curiosorum narratiuncularum gratia, absolute ad Dei nutum reuertendi licentiam, non tollit? quin apertè potius *hom. 29. in Marthæum.* scribit, *sponte sua*

redire non posse. cur adderet (sponte sua) si nec diuina voluntate possent redire? Nec aliud agebat Theophylac. in cap. 8. *Math.* cum testatur dæmones quoddam dogma instituere voluisse, de uagatione animarum in hoc orbe; cui minime sit assentiendum, quoniam animæ corpore egressæ iam certum habent locum, & non oberrant vagæ, quibus verbis negat spiritus pro arbitrio ἐν τῷ κόσμῳ (sic loquitur) πλανῆσαι, quoniam certis mansionibus statim assignantur, impugnat enim eundem errorem, quem Chrysostomus; & ueterquæ nobiscum, ut docui, sensit. Denique Septimius Tertullianus etiam illud Gentilium, de præuentis immatura morte, figmentum plane poeticum, & forte Platonicum, reijcit, & docet nec illorum animas uagari, donec reliquatio compleatur ætatem. hancque ille licentiam poetarum, cum Magorum audacia, iactantium inanem suam animas eliciendi potentiam; & cum infomiorum fallacia, quæ Manes falsa soliti immittere, comparans, merito refellit. Verum & ipse addit, Dei uirtutem quasdam animas reuocasse in documenta iuris sui. Sic scriptum ab eo inuenias extremo de Anima libro. Sic ergo neque S. S. neque patres, neque ratio; sed sola temeritas, nouandi cathoëthes, & uetustati detrahendi, Catholicis que conuitiandi libido. Aduersarijs suffragantur.

SECTIO VII.

SIT 2. Conclusio, Magi nequeunt opera dæmonum ueras de-functorum animas nobis ostendere: hæc est sententia Tertullian. *lib. de anima, cap. penul.* D. Isidori *lib. 8. Etymol.* Chryl. & Augusti, quos citat & sequitur D. Thom. *1. p. q. 1. 7. a. 4.*

A *ad 2. Guil. Paris. p. vlt. de uniuers. cap. 24. Victor. de magia n. 17. & tuse docet nuperus scriptor Alfonso Mendoza Quodlib. Scholast. q. 5. ratio est, quia Sanctorum animæ in manu Dei sunt, & soli Deo obediunt: damnatum nequit Diabolus sinere egredi, sine nutu Dei, sine quo nec ipse id potest: quod ipsum etiam habet locum in ijs, quæ expiantur. Ideo solent ipsi has uices subire dæmones; qui per mundum adhuc uagantur, & has animas amant mentiri, ut ex Porphyrio docuit Iamblicus *lib. de myster. Aegyptior.* Neque id mirandum, cum in Angelum quoque lucis se transfigurent, & in B. Virginem Deiparam, ut in Biturigibus Vibiscis, cum illic degerem scio accidisse, imo & in ipsum Christum Dominum, qualis B. Martino apparuit diabolus.*

C Ex his sequitur primò, prorsus esse superstitiosum, quod ex quorundam delira opinione retulit Ananias animas eorum, quibus expirantibus dexteram porrexerint, & uicissim porrectam receperint, ipsis post obitum apparituras. Nulla enim huius rei uel scripto, uel non scripto Dei uerbo, nec historiarum uerarum narrationibus auctoritas huic opinioni adminiculatur.

D Secundò sequitur non esse temerè imitandum, quod olim factum à nonnullis, & quod Ioan. Friburg. in Sum. Conf. *l. 1. tit. 11. q. 23.* secundum se consideratum, dicit non esse damnandum de peccato, non enim negant D. Tho. & ipse, & qui eos sequitur Beezius in *præcept.* periculosum esse, & tales ut plurimum se deludendos dæmoni propinare. & illi subiacerè comminationi, *Qui amat periculum, peribit in eo*, ideo prudenter Ciruleus, *lib. 3. de superstit.* cap. 11. reprehendit illos, qui cum inuicem paciscuntur, ut (si permittatur)

is, qui

ali. 3. do-
nat. de n. d.